...s homines firma

...itales pravitates

...etes fruitur.

...es simus digni

...e sacris. Vos

...incere terrea. E...

...esse polo. Vos

...nis effamine. et augmentum nostre
tribue peruenire subsidium. P. Co
Amen dico vobis quia nos q. Cplen.
Da qs domine fidelibus populis omnium
sanctorum tuorum semper veneratione
letari. et eorum perpetua supplicatione
muniri. P. Qs omnipotens deus Secr...
ut qui celestia alimenta percepimus.
intercedente beato cesario martyre tuo.
per hec contra omnia adversa muniamur. P. Claudii nicostrati et
Presta qs Col Clamaverunt iusti
omnipotens deus. ut qui gloriosos
martyres tuos claudium nicostratum
symphorianum castorium atque sim...

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-215754-p0002-9

EXEQVIÆ

IN OBITVM ILLV-STRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI GVILHELMI,

Ducis Brunſuicenſis ac Lunæburgij, Domini ſui clementiſſimi, qui die 20. menſis Auguſti Anno χριστογονίας 1592, Cellæ in Chriſto placidè obdormiuit.

Factæ

AB HENRICO MEGA CELLENSI.



HELMSTADII
Excuſæ per Iacobum Lucium, Anno 1592.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DN. ERNESTO, DN. CHRISTIANO, & DN. AVGVSTO

fratribus Germanis Ducib. Brunſuicenſium ac Lunæburgenſium, Dominis ſuis clementiſſimis

Dedicat
HENRICVS MEGA.

AVrea frugiferæ nunc primùm tempora meſſis
Diffugêre polo, queîs præmia grata laborum
Agricolæ capiunt totum quæſita per annum.
Hos quia cultus ager modò non ſpe luſit inani,
Læticia exultant, mœſtumq́ ex corde dolorem
Secludunt omnem: nec tantum ignobile vulgus
Lætatur, verùm, quò Sol vtrumq́ recurrens
Aſpicit Oceanum mortalia pectora gaudent.
Felices quos illa manent, mihi lumina fletu
Turgeſcunt miſero, vehemensq́ in pectore luctus
Hæret, & attonitæ torpent ad carmina vires.
Nec tamen hoc mirum quoniam Thymbræus Apollo
Ipſe chelyn mœrens platano ſuſpendit, & ægra
Mente graues gemitus imo de pectore ducit.
Quin etiam Charites indutæ veſtibus atris
Multa gemunt, largoq́ humectant flumine vultum,
Quòd tibi fatales ruperunt ſtamina Parcæ
Magne pater patriæ, vitamq́ effundis in auras.
Et meritò cunctos tibi flendæ mortis honores
Iam nunc inſtituunt, quoniam dum vita manebat,
Te tribuente ſuum ſemper nomenq́ decusq́
Geſſerunt Charites, iacuit nec ſpretus Apollo.
Antè malum hoc nobis, ſi mens non læua fuiſſet,
Prædixere frequens imber, ventiq́ furentes
Æolia exciti, tempeſtatesq́ ſonoræ.
Quæ dum mortales, ne triſtia damna pararent,
Mente timent pauida maturis frugibus horti
Aut pereant campis ſata læta boumq́ labores

Præcipitesq́; trahāt ſyluas & robora querna.
Triſtius inſequitur damnum, quod mœnia luctu
Tota replet patriæ, dum non virtutis egentem
Te rapit atra dies, & funere mergit acerbo.
Ergo iaces letho fractus pater optime, nec te
Plurima protexit pietas, nec maxima virtus.
Nil pia vota tibi per relligioſa Deorum
Limina quæ fudit populus: nil ſtemmate natum
Profuit auguſto: Parcarum fœdere certum
Eſt quia mortales cunctos ſuccumbere morti.
Stat ſua cuiq; dies, breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt vitæ: nec quenquam triſtia curant
Numina Parcarum, metas vbi contigit æui.
Si quenquam veterum commendant magna parentum
Nomina, vel claro laus eſt de ſanguine naſci:
Quis te magnanimis ducibus quis neſciat ortum,
Quem pater Erneſtus lateat, quo illuſtrior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis.
Ille vbi mancipijs Sathanæ pia dogmata verbi
Diuini ſenſit corrupta, docente Luthero,
Sollicitè ſecum tacito ſub pectore voluit,
Qua ratione queat ſinceros reddere cultus
Numinis, & vetitos ritus infandaq́; ſacra
Pontificis, Diuum ſacrata ſede repellat.
Nec mora, nec requies prius eſt quàm verna Bahalis
Romani, & lemures craſſi, raſiq́; luperci
Liminibus ſacris, longè lateq; per vrbes
Diffugiant regni, & per ſecula multa grauatum
Horren-

Horrendis tenebris verbum ceu morte reducat.
Illius at quondam veluti moderamina ſceptri
Dux generoſe capis: ſic relligionis amorem
Seruaſti patrium: Nam Diuûm templa fouere
Et ſacra ſacrorum cognoſcere dogmata vatum
Maxima cura fuit ſemper, ſanctumq́; tueri
Relligionis opus, ne fraudibus illa viciſsim
Obruta, veſani ludibria perferat orbis.
Adde quod & patrij donec tu ſceptra gerebas
Regni depoſitis miteſcant ſecula bellis
Finibus imperij: floret pietasq́; fidesq́;,
Nec rapto viuunt homines per ſtrata viarum.
Iura vigent, diræ ferro & compagibus arctis
Stant clauſæ belli portæ, & furor impius intus.
Pace regis populum, pax acceptiſsima ſemper
Vnicus eſt ardor Princeps tibi magne: nec vnquam
Vlla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.
Cedant arma togæ, paci lachrymabile bellum.
Pace Deo cultus mortales ritè per orbem
Legitimos præſtant: creſcit Reſpublica pace.
Pace ſeges tandem votis reſpondet auari
Agricolæ, & tutò paſcuntur rure capellæ.
Deniq; pacatis gaudent hominesq́; Dijq́;
Temporibus, terrasq; animalia cuncta per omnes.
Dumq; ita ſubiectos tranquilla pace gubernas
Exoptate parens, non parcis diuite ſumptu
Enutrire bonos, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi: venturi temporis ætas

Ne careat doctis, ſeu ſancta Eccleſia poſcat,
Anxia conſilijs egeat ſeu curia quondam.
Hinc igitur ſuperi memores fandi atq; nefandi
Soluerunt grates amplas, & magna dedêre
Præmia: Nam thalami conſortem fœdere ſancto
Ipſe Deus iunxit regali ſanguine natam,
Omnes quæ tecum vixit feliciter annos,
Et ter quniq; dedit partu dulciſsima lecti
Pignora: ſeu formam quorum, ſeu dona ſagacis
Ingenij ſpectes, ſeu fortia robora & artus,
Omnia præclarum quiddam & cœleſte referre
Videris, & ſimiles maioribus eſſe nepotes.
Quos pater omnipotens facias vt Neſtoris annos
Attingant memores patriæ virtutis & artis.
Cuius imago decens iam nunc quoq; lucet in illis.
At rigor immitis fati dulcemne parentem
Vlterius licuit mundo producere vitam,
Dum faciat natos omnes perfectior ætas
Ipſa viros, valeant tantum vt perferre dolorem.
Heu animoſe parens ſceleratas linquere terras
Quæ tibi cauſa fuit, mæſtosq; creare dolores
Conſorti thalami, natis, procerumq; cateruæ,
Et quoſcunq; tenet ditio tua tradere curis?
Hoc meruit noſtri ſceleris contagio: culpa
Contigit hoc noſtra: diuini numinis æſtum
Impulimus miſeri, cuius ne irasq; minasq;
Experiare, cadis letho, terrisq; recedis.
Sed nos huic alios penitus nihil abfore credo

Quin pa-

Quin pater omnipotens detrudat fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Erebi, noctemq́ profundam
Aut liquidis rapidum iaculetur nubibus ignem
Diſperdatq́ hominum, toto quæ viuit in orbe,
Progeniem ſubitò, ſcelerum ni ſupplice poſcat
Voce Deos veniam: & vitam, quæ ſorde grauata eſt,
In melius referens Superûm demulceat iras.
O patria, ô Diuûm domus, inclyta mœnia quantum
Interijt vobis columen: Germanidos oræ
Gloria quanta cadit, dum triſti funere vitam,
Sic mandante Deo, dux inuictiſſime ponis.
Quis cladem illius mortis, quis triſtia damna
Explicet, aut poſſit lacrymis æquare dolores?
Salue igitur generoſe parens, qui gaudia mille
Ætherios inter manes cœtusq́ verendos
Nunc capis, atq́ animum donis cœleſtibus exples,
Iam decus ætherium es, terrarum gloria quondam,
Præſidium imperij, & numen virtutis amicum.
Dum cœlum pluuias ſparget, dum ſancta vigebunt
Templa Dei, & caſtis tribuetur gloria Muſis:
Semper honos, nomenq́ tuum laudesq́ manebunt.
Nunc ſalue æternùm, ſalue ô ſanctiſſime princeps,
Æternumq́, habitans cœleſtia regna, valeto.

FINIS.

AB 113 723

ULB Halle 3
002 387 581

TA→a

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-215754-p0011-8

Iuno et pphem-

garuit terra inde

cru uestrorum.

turbas. offer

tor Letamini.

fertur. que tibi

ta sunt honore

r salutaria te

nt. Per. Ste secr

re beati cesarii mar

s meritis tenug

canticis tuis non recuat ac-
cepta. et nobis sacramenti redep
cionis efficiat. P. co Posuerit ma.
Celestibus refecti sacramen- cpl.
tis et gaudiis supplices te dne
deprecamur: ut quorum gloriamur
triumphis protegamur auxiliis. P.
Theodori mris. Gloria et honore.
Deus qui nos beati theo- Col.
dori martiris tui confessione glo
riosa circumdas et protegis: presta
nobis eius imitacione proficere
et oracione fulciri. P. epl. ſtemo
nulitas. gra Beatus uir. Ewn.

EXEQVIÆ

IN OBITVM ILLV-STRISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI, DOMINI GVILHEL-MI, Ducis Brunſuicenſis ac Lunæburgij, Domini ſui clementiſſimi, qui die 20. menſis Auguſti Anno χριστογονίας 1592, Cellæ in Chriſto placidè obdormiuit.

Factæ

AB HENRICO MEGA CELLENSI.



HELMSTADII
Excuſæ per Iacobum Lucium, Anno 1592.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-215754-p0013-0